

**Dissertatio inauguralis medica, de fonte medicato Freyenwaldensi ... / [Samuel Schaarschmidt].**

**Contributors**

Schaarschmidt, Samuel, 1709-1747.  
Alberti, Michael, 1682-1757.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Typis Joh. Christiani Hendelii, [1729]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/fn56yjru>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

12

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
**ONTE MEDICATC**  
**FREYENWALDENSI,**

*Quam,,*

A U S P I C E D E O P R O P I T I O ,

*Et Consensu atque Auctoritate Gratiæ Facultatis Medicæ,*

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R æ S I D E

**N. D. MICHAELE ALBERTI**

R. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CO-  
MARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD.  
NAT. CUR. COLLEGA, SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT. SODALI, ETC.

DN. DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

*mino Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo*

**PRO LICENTIA**

**MMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-  
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,**

*HORIS LOCOQVE CONSVETIS,*

ANNO MDCCXXIX. D. NOVEMB.

*Pulicæ ac placidæ eruditorum ventilationi subjiciet*

AUCTOR RESPONDENS

**SAMUEL SCHAAERSCHMIDIUS,**

*TERICENSIS ASTRACANUS.*

*HALÆ MAGDEBURGICÆ,*

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



V I R I S

ILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO, CONSULTISSIMO  
EXPERIENTISSIMO, DOCTISSIMO

D O M I N O

D. MICHAELI ALBER

REG. MAJ. BORUSS. AULICO ET CO-  
MAGDEBURG. CONSILIARIO, MEDICINÆ ET PHILOS-  
NATUR. PROFESSORI PUBL. ORD. ACAD. NAT. C-  
RIOS. COLLEGÆ, ET SOCIET. REG. BO-  
RUSS. SCIENT. SODALI, ETC.

DECANO FACULTATIS MEDIC-  
SPECTATISSIMO,

PRÆSIDI SUÆ DISS. GRAVISSIMO,

MOECENATI, PRÆCEPTORI  
PROMOTORI SUO OBSEQVIOSA ME-  
TE AD URNAS COLENDO,

NEC NON

EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO, DOCTISSIMO

D O M I N O

D. JOHANNI JUNCKE

MEDICINÆ PROFESSORI PUBL. ORD.  
PRACTICO HUJUS CIVITATIS AMPLISSIMO,

PATRONO AC PRÆCEPTORI

NUNQVAM NON VENERANDO,

UT ET

SUMME REVERENDO,

AMPLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

JOH. ANASTASIO  
FREYLINGHAUSEN,  
MPLI ULRICIANI PASTORI, GYMNA-  
SIIQVE SCHOLARCHÆ DIGNISSIMO,  
TRONO AC FAUTORI SUO  
INI HONORIS AC REVERENTIÆ CUL-  
TU PROSEQVENDO,

NEC NON

SUMME REVERENDO,

AMPLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

JOHANNI ULRICO  
SCHWENZELIO,  
TORI TEMPLI MAURITIANI, GYMNA-  
SIIQVE SCHOLARCHÆ DIGNISSIMO,  
TRONO AC FAUTORI SUO  
PARENTIS LOCO VENERANDO,

HANCCE DISSERTATIONEM

I N

ISSIMAM TANTORUM BENEFICIORUM MEMORIAM

CUM VOTO

OMNIGENÆ PROSPERITATIS  
GRATIÆQVE DIVINÆ  
DICAT, DAT, DEDICAT  
AUCTOR RESPONDENS.



## Q. D. B. V.



On enumeranda fere sunt remedia, quibus schola medica jam a primis Medicinæ incunabulis morbos oppugnare annisa fuit. Multa tamen ita sunt comparata, ut ab una parte Medicorum summis laudibus ad cœlum penitus evecta, ab altera vero ceu inutilia fuerint declarata. Inter alias hujus rei causas minus attenta ad operationem medicamentorum observatio est referenda, ubi effectus, qui sæpenumero ex alia causa fuisset deducendus, medicamento alicui fuit adscriptus, cui plane non convenit. Alia ratio magis ponderosa præjudicium est, quod de hoc vel illo medicamine adeo firmas in quorundam Medicorum, imprimis chemicorum animis egit radices, ut damna, quæ tale remedium intulit non observantes, id, quod accidentaliter bene cessit, omne soli huic medicamini adscripsissent. Hinc quan-

tis non laudibus celebravit arcana sua Paracelsus; quibus aliis longævitatem procuraturus, suam ipsius vitam non ultra XLVII. protraxit annos; uti clariss. *Bærbaven in instit. chemic. testatur. Tom. I. p. 33.* Quantis encomiis non extulit arcana sua strenuus Paracelsi sectator *Helmontius*; cum tamen nec ipse documenta tantis arcanis digna producere potuerit, nec posteri tam summis arcanis prævalentes sanationes præstare valuerint; testante eodem *Bærbavio* loco ante citato pag. 42. seqq. Contingit vero quam sæpiissime, ut illud medicamen, quod hic tam egregie celebravit, ab alio pariter vel ex minus accurata ad operationem ipsius attentione, vel ex præjudicio, vel aliis magis veris causis, diris quasi devoveatur. Hinc quantis non detectionibus miraculosis arcanis rigida Paracelsi scripta rejicit *Guido Palatinus epist. Tom. I. epist. IX.* adeo ut sequentia edixerit verba: Avez vous oui dire, que le Paracelse s' imprime à Geneve en 4 volumes in Folio. Quelle honte, qu'un si mechant livre trouve des presses, & des ouvriers, qui ne se peuvent trouver pour quelque chose de fort bien. J' aimerois mieux, qu'on eut imprimé l' Alcoran, qui n'est pas si dangereux, & qui au moins ne tromperoit pas tant le monde &c. Idem judicium de Paracelso fert *Gesnerus epist. I.* ubi ait: Theophrastum indignum judicio, cuius inter bonos viros fiat mentio &c. item: Certe impius homo & magus fuit, & cum dæmonibus communicavit. Hæcce Medicorum dissensio fundamentum fuit & ratio, cur Medicina pro incertissima semper fuerit habita.

habita. Nullum certe est remedium ; cujus non  
 dentur laudes & opprobria ; Nos Præfaminis loco  
 de aquis & fontibus medicatis exemplum sumemus.  
 Quis enim nescit , quanti hocce remediorum genus  
 a quibusdam æstimetur, adeo ut nullus fere sit mor-  
 bus, quem non per fontes suos superatum iri affir-  
 marent ? Contra vero , cui non innotescunt Medi-  
 ci, qui nihil faciunt hæcce medicamina ? Sed ut in  
 omnibus , ita & de hisce subjectis valet sententia :  
 Medio tutissimus ibis. Licet enim non conveniat,  
 tantis laudibus ac encomiis deprædicare fontes sa-  
 lutares , ut tanquam universale fere exclamentur  
 medicamen : confirmat tamen abundanter experien-  
 tia medica , medicatos fontes in curandis æque ac  
 avertendis morbis non minimum mereri locum.  
 Non est nostri instituti , ut causas & deprædicationis  
 & contemtionis fontium indagemus : interim præ-  
 ter adductas superius rationes paucis tantum perlu-  
 strabimus , quæ causa ad tantum eorum contemtum  
 non solum apud Medicos , sed potius profanum vul-  
 gus contribuerit. Accedunt nimirum sæpenume-  
 ro ad fontes tales ægri , quorum morbi eo jam per-  
 venerunt , ut nemo nec Medicorum nec Chirurgo-  
 rum auxiliatrices manus illis ferre potuerit : hi ul-  
 timum tandem solatium quærunt in fontibus , ad  
 eosque ceu ad sacram configiunt anchoram , auxi-  
 lium inde expectantes. Prudentes ac conscientio-  
 si Medici , fontanalia curantes , ejusmodi Patienti-  
 bus mox errorem ostendunt , ac fontium in mor-  
 bis eorum curandis impotentiam proponunt. Ob-

cœcati præjudiciis ac opinionibus ægri his minime fidem habentes ; proprio ausu rem adgrediuntur , aquas bibunt , balnea adhibent . Interim tandem sentiunt , se nihil levatos esse fontibus ; hinc revertuntur domum magis interdum ægroti , ac si fuerunt , cum fontem accederent . Tunc omnis culpa fontium est ; hi aliis dissuadentur , devoventur , ac proximamente inutili inertique deprædicantur medicamine . Sic tophi aut exostoses ossium ( quarum investigationem physiologicam ac practicam erudite exhibuit *Celeb. Scheuchzerus in Act. Uratislav. Tent. XXIII. mens. Mart. pag. 318.* ) talis sunt morbus , qui nullis fontibus nec balneis superari potest ; id affirmante *Excellentissima Gohlio in Act. Med. Berolin. Decad. II. Vol. VI. pag. 35. num. 9.* Hinc eos non inutilem impendisse operam puto , qui fontes examinatos rite ita erudito descripserunt orbi , ut sciant , quales possideant tales fontes virtutes . Hinc pro Themate Inauguralis dissertationis illud sumendum putavi , ut de *Fonte Medicato Freyenwaldensi agerem.* In hac tractatione sequenti utar ordine , ut materiam tribus includens capitibus , primo de *Ortu , Situ , ac modo adhibendi hunc Fontem* ; secundo de *principiis ejus constitutivis* ; & tertio de *viribus illius in curandis morbis pro viribus agam.* Annuat cœptis nostris fons ac origo omnis salutis ac auxilii , ac largiatur clementissime vires , ut nostræ bene cedant primitiae .

## CAPUT I.

De

Ortu, Situ ac Modo adhibendi Fontem  
Freyenwaldensem.

## §. I.

**F**ons medicatus Freyenwaldensis distat bis millenos & quincentos passus a civitate Freyenwalda. Sita est hæc urbs ad Viadrum in Mesomarchia: cuius vicinia tanta gaudet amœnitate, ut nihil fere desit sensibus, quo non gaudere possint. Ipse Viadrus amœnum cupientibus præbet delectamentum; in quo si Musica instituitur, triplici echo resonat egregie. Præterea omnis adjacens regio Sylvis ac montibus consita gratum viatori præbet divisorium. Sed quid juvat hafce recensere delicias? satius erit, si utilia, quæ circa hanc urbem inveniuntur, brevibus attingam. Omne solum urbem hanc ambiens minerale est ac martiale; quin & ipse fundus totius Viadri Martialis habet strata. Hinc haud ita diu exultæ fuerunt hic martiales fodinæ; in quibus cum ferrum minus durabile præparatum fuerit, operæ pretium haud fore existimarunt, hosce labores continuandi; quare aliud opificium magis proficuum inceperunt. Terra scilicet quædam in montibus effoditur; quæ per aliquot menses sub diu tempestati exposita, albicanem exsudat materiam, ex qua varia præparatione alumen perficitur præstantissimum. Non minus exstant in his regionibus antiquitatis documenta; curiositatem historicorum

æque ac medicorum explentia. Haud procul enim ab opificio hoc aluminario altus exsurgit mons, in cuius cacumine videntur rudera antiquæ arcis Nobilium de Uchtenhagen, olim excursiones suas in his locis facientium. Porro inveniuntur adhuc testimonia, quæ olim hic fuisse fodinas minerales abundanter asserunt; inter quæ antiquissimum ac curiosissimum est id, quod vocant das schwärze Lode. Nihil aliud est, quam magnus hiatus, sub terra longo spatio se protrahens; ex quo terra petitur sic dicta nigra; quæ accensa sub continua urit favilla, bituminoso-succineum spargens odorem; donec remaneat rubicundus cinis. Præparatur alias ex hac terra oleum quoddam in officina Freyenwaldensi usuale, egregie discutiens ac robورans, externo vero usui solummodo aptum. Conf. de hac terra *M. N. C. dec. 3. anno VI. obs. 239.* In hoc igitur toto minerali solo, in centro quasi situs est fons noster salutaris, ad cuius historiam progredior.

## §. II.

Originem hujus fontis quod attinet; notum est, illum anno post Christum natum 1683. demum innotuisse. Postquam scilicet quidam febribus correpti intermittentibus, præcipue viatores (qui ad sitim explendam de hac aqua potarunt) nullum potum præ vomitu retinere potuerunt: observarunt, quod quando de hac biberunt aqua, statim non solum eam retinuerint; sed etiam successive a febre sua fuerint liberati. Hæc prima fuit occasio, quæ fontem hunc in hominum evexit notitiam. Hoc cognoscens Apothecarius loci, penitus in hunc fontem inquisivit; chymioe illum tractavit, ac ex residuo flavo Croco concludit, hanc aquam esse mineralem. Increbuit fama ad vicina lo-

ca usque ad Berolinum ; hinc anno 1684. egregius ille chymicus Johannes Cunkelius ipse ad locum hunc profectus, chynico hanc aquam subjicit examini, ac invenit, eam omnino esse mineralem. Tandem rumor tunc temporis ad ipsas Serenissimi Electoris Friderici Wilhelmi, beatissimæ memoriæ pervenit aures. Hic subditorum suorum Clementissimus pater post acquisita magis magisque de hoc fonte testimonia, limpidam hanc aquam a terra & sordibus circumjacentibus separari, ac cancellis includi mandavit; non minus domicilia circa hunc fontem ædificanda curavit; Medicum statim ordinavit, custodem præfecit, ac divinum cultum singula septimana bis habendum voluit. Sic fama hujus fontis mox increbuit; quam insigniter adauxit ipsius Clementissimi Electoris præsentia ad hunc fontem, quem ipse usurpavit. Non minus hanc famam illustriorem reddidit præsentia Serenissimi Principis Philippi Wilhelmi, Marchionis Brandenburgici; qui anno 1684. ad difficiliorem auditum fontem hunc per 4. septimanas summo adhibuit levamine ac delectamento. Continuata est Regia erga hunc fontem clementia a Potentissimo Borussiæ Rege Friderico primo; qui non solum ipse saepius hanc aquam adhibuit; sed quoque ob amoenissimam loci situationem arcem prope fontem sibi exstruendam curavit pretiosam. Continuatur adhuc Clementia erga hunc fontem a Potentissimo Rege nostro Friderico Wilhelmo; & sic famam sibi acquisivit fons hic salutaris.

## §. III.

Anno 1705. fons hic alia ratione receptaculis suis fut inclusus, adeo ut aqua in iis semper 3<sup>1</sup> pedum altitudine substiterit, priusquam per Canalem effluxum suum habu-

erit. De hac vero exaltata aqua observatum fuit ab Excellentissimo Dn. Gohlio, Patrono meo æternum colendo, vires, quas alias hæc aqua exseruit, jam jam non tantas amplius existere. Putavit statim Vir Doctissimus, aquam hanc ideo vires suas aliqua tenus amississe, quoniam particulæ illius volatiles sub solis æstu avolarent, & sic aquam redderent inertem. Hinc tecto operiendum hunc fontem curavit, ut particulæ ejus volatiles non ita abunde avolare queant. Nihilominus tamen tantas vires non exseruit, quantas alias ostendit: hinc anno 1711. non procul ab hoc fonte aliam invenit scaturiginem, cuius aquæ easdem cum priori virtutes habere compertæ sunt. Hanc commode muniri curavit, & expertus est, eandem maiores vires exserere quam priorem. Quare distinctionis gratia hic fons die neue Quelle dicitur, & non opertus manet; alter vero die alte Quelle.

## §. IV.

Multis modis adhibetur hic fons salutaris; 1) Aqua ejus interno usu apta bibitur; deinde 2) aqua calefacta in balneo usurpatur; 3) aquæ vapor per peculiaria instrumenta morbosis corporis partibus admittitur, v. g. in aures. 4) aqua frigida per peculiare instrumentum, das Tropff-Bad dictum, delirorum capiti instillatur, aut paralyticis ad locum affectum distillat. 5) Sedimentum, quod aqua per Canales suos demittit flavum, externe applicatur, præcipue in oculorum affectibus. Singulos modos specialius percurremus.

## §. V.

Primus scilicet modus, quo aqua hæc salutaris corpori humano opitulatur, est internus ejusdem usus. Optimum

mum tempus, quo in genere uti omnes fontes, ita & no-  
 ster adhibetur sunt menses æstivi Junius, Julius ac Augu-  
 stus. Etenim hoc tempore calidior ac amœnior tempesta  
 motum corporis, aliaque delectamenta fontem visitantibus  
 ægris perquam necessaria egregie subministrat; qualia a-  
 spera hyems, aut pluviosus autumnus haud permittunt.  
 Maxime idoneum vero, quo pér diem bibatur hæc aqua  
 tempus, est matutinum; quo aqua pota per motum cor-  
 poris ante prandium adhuc e corpore eliminari queat. Ad-  
 hibetur autem sequenti ordine, ut bene antea præparato  
 corpore, primo die 4 aut 5 bibantur vitra hujus aquæ;  
 adeo ut inter uniuscujusque assumptionem obambulet pau-  
 lulum æger, adeoque diuresis ac diaphoresis inter biben-  
 dum procedat libere. Postero die vitrum plus babitur; &  
 sic singulo die unum plus assumendo ad Mensuram aquæ u-  
 nam aut alteram ascenditur; quantum scilicet cuiusvis  
 constitutio perferre potest. Si ad summum vitrorum nu-  
 merum fuerit perventum; retrogrado actu singulo die u-  
 num vitrum minus babitur, donec ad illum iterum perva-  
 tum sit numerum, quo inceptum est. Absoluta quotidie  
 aquæ portione, motus corporis est instituendus, quo pota  
 aqua e corpore iterum eliminetur. Operatur vero aqua  
 hæc interne sumta pro diversa hominum constitutione; sic  
 quibusdam alvum movet, nigro colore excrementa tin-  
 gendo; in aliis per diaphoresin, in aliis autem magis per  
 diuresin vim suam exserit. Occurrit hic physiologica ob-  
 servatio, quod aqua hujus fontes calidioribus diebus adhi-  
 bita operetur magis per diaphoresin; frigidiori autem  
 tempore magis per diuresin; cuius phænomeni ratio ex  
 physiologia petenda est. Contingit vero sæpenumero, ut

subsistat aqua pota, ac incommoda creet flatulenta & Cardialgica; quo casu succurrendum est exhibitione laxantis alicujus; quo nomine optimum est Sal Anglicanum. Sed quidam homines aquam hanc perferre plane nequeunt, quin subsistat; quales vero ab interno ejus usu detinendi & ad balnea solummodo persuadendi sunt. Hic aquæ potus magnum ciborum excitat ad petitum: hinc quo melius concoqui possint cibi copiosius assumti; convenit sub prandio vino uti aut Essentia quadam stomachica. Finita cura corpus iterum laxandum est, ne sordes quædam restitent. Diætam quod attinet, quæ sub hujus aquæ usu observanda est; illa pro diversis ægrorum accendentium morbis diversa a medico quoque ordinanda venit; interim in genere notandum, omnia cruda, crassa ac concoctu difficultia esse evitanda; quoniam iis intermittens febris facile potest induci; cuius causa deinde ipsis aquis immerito adscribitur. Interea unum subiectum præ altero magis perferre potest cibos.

## §. VI.

Progrediamur ad alterum modum hunc fontem adhibendi, nempe in forma Balneorum. Ad præparanda balnea aqua hæc natura frigida in ferreis ahenis semper redditur calida, aut in quibusdam casibus v. g. in deliriosis tepidissima. Quamvis enim illud phænomenon, quod aqua hæc in dissita loca transportata, licet in optime obduratis lagænis, virtutes suas ob volatilis subtilissimi principii avolationem potissimum amittat, occasionem præbere possit objiciendi; quod si hæc aqua in loco frigido paululum subsistens, vires suas amitteret, eo magis sub calefactione vires suas illam esse amissuram: at-

amen inesse adhuc tali aquæ aliquid fixi mineralis, quod  
 illam a communi distinguit aqua, ostendunt non solum -  
 linteamina super balnea hærentia, flavo colore tincta; sed  
 potius egregius, quem hæc balnea præstant, effectus. Du-  
 plici vero ratione adhibentur hæc balnea: aut enim ægri  
 in ipsam aquam tepidam redditam corpus suum impo-  
 nunt, quod vocatur *ein nasses Bad*: aut in tali fervida a-  
 qua super sellam insident, & corpori suo non nisi vapo-  
 rem aquæ admittunt, quod vocant *ein Schwitzbad*. Ad  
 utrumque balneum sumitur ordinarium labrum, huic im-  
 ponitur aqua, cui in balneo humido insident ægri; in va-  
 poroso in sella super aquam sedentes vaporem tantum  
 admittunt nudo corpori. Huic labro superstructi sunt  
 lignei arcus, quibus impositum lintamen totum obtegit  
 labrum simulque patientem illi insidentem: ea tamen est  
 discrepantia, ut in humido sedeant capite simul intra lin-  
 teum remanente (licet quidam caput suum extra linteum  
 quoque exporrigant) in vaporoso autem caput semper  
 extra linteum habeant, ac vaporem nudo admittant corpo-  
 ri. Horum balneorum usus post concoctionem absolu-  
 tam demum commendatur: ne natura in concoctione sua  
 tutbetur. Egregie promovent hæc balnea sudorem, ma-  
 gis tamen vaporosa quam humida: hinc post balneum æ-  
 gri plerumque in lectum sese convertunt, ut sudorem le-  
 gitime administrare valeant: quibus vero lecti non datur  
 copia, ante caminum vestes induunt, ac sudorem finiunt.  
 Notanda est in balneorum adapplicatione cautela, ne in ex-  
 acerbatione paroxysmi adhibeantur; sed quando ejus re-  
 missio fuit subsequuta. Quod attinet frigida balnea, in-  
 stituti nostri ratio non exigit, ut ea examinemus, in quan-  
 tum

tum conducant; præcipue cum in nostro fonte non adhibeantur.

### §. VII.

Accedimus potius ad tertium his aquis utendi modum, qui consistit in vapore earum aut toti corpori aut singulis ejus partibus admittendo. Pertinet huc balneum siccum præcedente thesi nominatum; sed & alii adhuc sunt modi: præcipue tamen adhibetur vapor aquarum vel ad oculorum affectus vel ad aurium morbos. In illis aqua frigida vasi alicui infunditur, & statim lapis quidam laterarius concalefactus ei immittitur; tunc caput linteamine obducitur cum vase illo, & sic vapor ad oculos exsurgit: hic se gerit egregie in discutiendis humorum ad oculos affluxibus. Ad aurium vero affectus peculiaris fabricata est machina (ad modum infundibuli) per quam aquæ vapor ex olla, cui pariter immissi erant lateres, in aurem immittitur. Sæpius hic modus surditatem aliosque aurium affectus sustulit; præcipue quando ab obstructione meatus auditorii aliarumque auris partium per induratum cerumen, aut alium humorem ortum duxerunt: ubi non solum emolliendo hanc materiam, sed & discutiendo affluxum efficaciam suam administrat.

### §. VIII.

Quartus modus consistit in illo balnei geuere, quod vocant das Tropfbad. Paratur machina cuprea instar globi cum epistomio: hæc machina fulcro ligneo ita accommodatur, ut ex ejus epistomio frigida aqua guttatione in Caput ægri, balneo humido insidentis destillare queat. Adhibetur hæc methodus in deliriosis: quanquam etiam in paralyticis ad partes affectas aqua hæc emittatur. Operatio

ratio hujus balnei meo quidem arbitrio consistit in alteratione & excitatione sensus vitalis, quam aqua hæc frigide instillata efficit. Et notus sane mihi est Casus, ubi studiosus quidam peculiari delirii specie correptus, post sæpius repetitum hujus stillatitii balnei usum egregium mali sui levamen fuit expetus.

### §. IX.

Ultimus & quintus tandem fontem hunc adhibendi modus consistit in applicatione externa sedimenti lutei, quod aqua hæc deponit. Lutum ejusmodi minerale jam a longis temporibus ceu externum topicum a multis Celeberrimis Medicis fuit celebratum, & si quoque experientiam consulamus, non de nihilo illorum est assertio. In nostro fonte applicatur tantummodo hocce lutum vesperi inter duo lintermina ad cervicem, præcipue ad resolvendam & derivandam congestionem oculorum, insigni multorum levamine. Sed satis de Capite primo dictum est; accedamus ad alterum, & in eo agemus.

### C A P. II.

*De*

## Principiis Fontis Freyenwaldensis constitutivis.

### §. I.

Fontis nostri medicati aquas non esse vulgares, sed ad mineralium naturam accedere & sensus monstrant, & experimenta chymica indicant. Inter ea momenta,

C

quæ

quæ ad sensus probant, fontem nostrum esse mineralem, sequentia notabimus:

- 1) *Aqua hæc saporem subadstringentem atramento similem linguae suppeditat.*
- 2) *Quando fontis hujus aquæ per aliquod temporis spatium fuerunt obtectæ; ac exsurgens deinde vapor naribus excipitur, sulphureo-putridus odor illas ferit.*
- 3) *Pari ratione lapides silicei ex aqua hac protracti, manibus paullulum triti, sulphureum spargunt odorem.*
- 4) *Non minus quidam, qui jejuno præcipue ventriculo banc bibunt aquam, illa quasi inebriantur ac temulenti reduntur.*
- 5) *Deponit hæc aqua in canalibus, quos transit, sedimentum luteum, Croco Martis simillimum.*
- 6) *Vasa illa, in quibus hæc aqua fuerat contenta, flavo tinguntur colore.*
- 7) *Si vitro alicui infunditur, bullulas perlarum similes efformat.*
- 8) *Si per noctem hæc aqua tranquilla stetit, turbida redditur.*
- 9) *Si intacta per aliquod temporis spatium subsistit; in superficie sua cuticulam caudam pavonis repræsentantem exhibet.*
- 10) *Pisces in hac aqua statim moriuntur.*
- 11) *Lintea ac indusia in balneo adeo flavo adficiuntur colore, qui vix elui potest.*
- 12) *Aquæ nec in frigidissimo hyeme gelu obducuntur, sed semper manent limpidae.*
- 13) *Solum totius regionis, uti ex ipsius Viadri totum existit minerale.*

- 14) *Pondere suo aqua hæc communem aquam longe superat.*  
 15) *Effectus illos, quos aqua hæc ad ipsum fontem adhæſa exhibet, in aliū locum translata non exserit.*

## §. II.

Chymica experimenta, quæ corroborant, aquam hanc esse mineralem, sunt sequentia :

- 1) *Fam Celeberrimus Hoffmannus Med. Consult. part. I. dec. IV. cas. V. p. 138. indicavit ex duabus aquæ hujus mensuris per evaporationem remanere drachmam unam materiæ flavescentis terræ, cum spiritu vitrioli acriter pugnantis.*
- 2) *Si cum lacte commisceatur aut frigide aut calide, nullam subit coagulationem.*
- 3) *Si affunditur Extractum Theæ, sanguineum nanciscitur colorem.*
- 4) *Si pulvis Gallarum ad ipsum fontem aquis hisce inspergitur, violaceum inducunt colorem: quod non contingit cum aqua ad alia loca transportata.*
- 5) *Spiritus Salis, Nitri, quin & Oleum Vitrioli nullam in hanc aquam exserunt actionem.*
- 6) *Lutum quod deponit, cum acidis effervescit.*
- 7) *Lutum hoc vehementissimo igne tractatum, particulas exhibet martiales, magnetis attractioni obtemperantes.*
- 8) *Si subjecta, acidæ in primis viis impuritates habentia, his aquis utuntur; sentiunt ruetus, vomitus, diarrhœas &c.*

## §. III.

Ex hisce paucis allegatis momentis & experimentis probari potest, aquam hancce medicatam continere 1)

*principium aqueum*; 2) *subtilem spiritum volatilem*; 3) *principium alcalinum*; 4) *Martem* 5) *sulphureo-fixum quod-dam acidum*. *Aqueum principium* cum sensus indicent, nulla probatione demonstrari opus habet. *Subtilem spiritum volatilem* significant §. 1. momentum 2, 3, 4, 6, 7, 11, 12, & 15. *Alcalinum principium* demonstrant §. 2. Experimentum I, VI, & VIII. Sic ex Medicis fundamen-tis compertum est, alealia laxare, si acidis impuritatibus in primis viis præsentibus exhibeantur. *Martem* adesse probant §. 1. momentum 1, 2, 3, 5, 13, 14, & §. 2. expe-rimentum 3, 4, & 7. *Fixum sulphureum acidum* innuunt §. 2. exper. 2. & 5. ubi etiam effectus, quem hæ aquæ in balneis edunt, licet subtile particulæ avolaverint, hoc confirmat. vid. Cap. I. §. VI. Conjunctum vero hoc fi-xum acidum principium adeo est cum alcalino, ut medii-falis naturam fere nanciscatur. Ut rem uno verbo expri-mamus, aquas hasce ad Martiatas esse referendas existi-mamus. Hinc acidularum numero minime adscribi po-tentunt, quod & a priori & a posteriori probari potest. A priori hanc sententiam corroborat, quia parum spiri-tuosi volatilis continet, testante id *Celeberrimo Hoffmanno Med. Consult.* p. 138. & diss. de aqua, medicina uni-versali §. 19. pag. 28. A posteriori demonstrat innocu-us, sed potius proficuus harum aquarum internus usus in phtisi; ubi acidulæ malum exasperant. *Conf.* observa-tiones a *Menzelio M.N.C.* dec. 2. an. 4. pag. 47. insertæ.

## §. IV.

Secundum hæc præsupposita hujus fontis principia, generales ejus vires eo reduci possunt, ut 1) ratione *principii aquei* humores acres, lentos ac mucidos diluat,

ac deinde refrigeret, 2) ratione *spirituosi subtilis volatilis* corporis subtilissimos meatus penetret, 3) ratione *alcalini* aperiat, acres humores biliosos involvat, abstergat, & educat, 4) ratione *martialis* principii tonum roboret; simulque pro circumstantiarum ratione aperiat; & 5) ratione *sulphurei fixi* sanguinem depuret, & externis corporis efflorescentiis abstergendis sit idonea. His de principiis hujus fontis præmissis, pergamus ad Caput tertium, in quo agemus

## C A P. III.

*De*

## Viribus hujus Fontis salutaribus.

## §. I.

**S**pecialius in hoc capite ostendemus, in quibusnam morbis, fons noster utilitatem habeat, & contra, quibus nullum aut parum emolumentum adferat. Licet vero hac ratione opus esset, ut ostenderetur, quid in singulis morbis a fonte nostro sit expectandum: attamen id arctis dissertationis alicujus limitibus comprehendi non potest. Supradicere huic labori eo melius poterimus, cum ipse *Excellentissimus Goblius*, fontis hujus Medicus ordinarius in Aetis Berolinensibus ut in pluribus voluminibus sic etiam *decad. II. Vol. VI.* plures casus ac observationes ex solida, quam habet experientia de promtas de morbis fonte hoc mitigatis aut plane curatis allegaverit. Contenti erimus si summa tantummodo morborum genera percurrentes ostenderimus, quid auxilii ex fonte hoc sit sperandum. Sed ante omnia id adhuc monendum esse existimamus, quod

plerique ægri, qui ad fontes accedunt, talibus morbis sint  
adflicti, qui chronici, complicati, ac corrupti jam sunt;  
ultimo horum refugium plerumque quæritur in fonti-  
bus. Etenim de acutis nulla ad fontes communiter fit  
mentio; interim quæstio medica occurrit; an non in acu-  
tis etiam fons noster sit proficuus? Quando hæc quæstio  
de tota cura, quæ ad fontem observatur, intelligatur; ab-  
surdum foret, fontem nostrum in acutis commendare. Ve-  
rum enim vero quid impediret aut noceret, si acuto mor-  
bo laboranti ægro aquam nostri fontis bibendam porrige-  
remus? Non enim dicam de refectione, quam ejusmodi  
ægri quasi siti accensi ex potu hujuscemodi aquæ hauri-  
rent; sed in eo tantum utilitatem fontis nostri laudabo,  
quod vomitum in acutis molestissimum, omnem medica-  
mentorum operationem eludentem tutissime compescere  
soleat. Egregie sane hic se gerit internus aquæ hujus usus;  
& noti sunt casus, ubi in doloribus Colicis iliacis, morbo  
sane acuto, cum nulla subsequente alvi excretione vomitu  
omnia rejicerentur, medicamina non restitarent, clysteres  
nihil efficerent, potus aquæ hujus vomitum statim sopivit  
tuto; ut reliqua deinde medicamina rite potuerint opera-  
ri. Interim chronici potissimum & proprie sunt morbi,  
qui ad fontanalem curam pertinent. In omnibus vero  
morbis, quibus fontes mederi debent, viscera semper  
supponuntur illæsa.

## §. II.

Præ aliis morbis illi potissimum sunt fontis nostri ob-  
jectum, qui externas corporis partes præcipue adfligunt;  
uti sunt v. g. dolores arthritici, rheumatici, ischiadici, po-  
dagrici, gonagrīci, Contracturæ &c. Infallibile certe re-  
medi-

medium fons noster in hisce morbis fere existit, præcipue  
in balneis; & memoratu dignissimi hoc loco sunt casus, quos  
Menzelius in *M. N. C. dec. 2. an. 3. de tumoribus ac contra-  
eturis arthriticis fonte hoc curatis* allegat. Testantur de  
efficacia hujus fontis in ejusmodi morbis relicta quam pluri-  
ma in hoc fonte fulcra sub alaria ab ægris, qui cum acce-  
derent, incedere vix valentes, ex usu hujus fontis adeo  
sunt sublevati, ut fulcris his relictis firmis pedibus abire  
potuerint. Modus fontis in hos morbos operandi facile  
potest explicari: Hi enim morbi sunt erroneum ex parte  
naturæ conamen, quo dolorofis hisce motibus vel sanguini-  
nem imminuere vel spissum attenuare, vel impurum mun-  
dificare, vel impeditius profluentein adjuvare &c. inten-  
dit. Utrique fini satisfacit fontis hujus usus. Hinc opti-  
mum est, si in talibus morbis externo usui aquarum in  
balneorum forma, internus quoque earum usus conjun-  
gatur cum subsequente motu corporis. In quibus vero  
interne aquis uti nulla adest potestas; calida in earum lo-  
cum substitui debent infusa diluentia. Optimum vero,  
quod ejusmodi patientes adhibeant balneum, est vaporo-  
sum.

### §. III.

Quid autem de usu nostrarum aquarum in febri-  
bus est prædicandum? De acutis §. I. dictum est; hic  
vero de intermittentibus serino est. Hæ sunt, quarum  
curationes per aquam fontis nostri huncce in famam  
perduxerunt: quod vero semper certo per fontem no-  
strum profligentur, est, quod affirmare non audeo.  
Interim quidam peculiari modo usi sunt, per hunc fontem  
febrem suam depellendi; qui vero heroicis ac te-  
mera-

merariis medendi methodis adscribendus venit. Nempe ingruente paroxysmo frigoris balneum intrant, præcipue in quartanis, & sic naturam in opere suo perturbando frigus quidem avertunt; sed num a pravis conseptariis vivant immunes, post discessum ipsi experiuntur. Hinc febres has morbis, qui medelam ex fonte nostro certo deportant, non an numero. Interim cum sæpius contingat, ut sub usu hujus fontis febres patientes corripiant: non quoque inde culpa ipsi usui aquarum est adscribenda, sed inordinatae diætæ, quam gesserunt. Plurimam ad ejusmodi malam diætam in illo loco præbent occasionein, cancri, piscesque, & iter illos præcipue anguilla: qui copiofissima quantitate in Viadro reperiuntur.

## §. IV.

Illos, qui caput infestant, affectus, si consideremus, plures inveniemus, quibus aquis his auxilium præberi potest. Cephalalgiarum variæ sunt species; inter quas clavus hystericus, & hemicrania sola sunt, quæ dignantur homines, ut propterea fontes accedant. Consistunt vero hi morbi in pertinaci spasmo ex humorum spissitudine inducto: quid igitur mirum, si & internus aquarum usus, accedente corporis motu sanguinem spissum attenuando, ac in æqualem circulum perducendo, & externa balnea impuritates educendo, superfluum sanguinem per diaphoresin evacuando, ac spasmos vi pauculum emolliente mitigando, molestissimos hos morbos si non penitus tollant, tamen sensibiliter sublevent. Non attingam reliquos capitum affectus, quibus fons noster oportulatur. Sic enim de aurium affectibus jam Cap. I. §. VII. pauca diximus; nec non de oculorum morbis Cap.

I. §.

I. §. VII. & IX. mentionem injecimus ; præterea *Excell. Goblius in Act. Berol. dec. 2. vol. VI.* plures casus de oculorum tantum affectibus hoc fonte levatis recenset. Ratio ac fundamentum operationis consistit in promotione æquali circuli sanguinis , qua illius particulares congettiones intercipiuntur , cui accedit vis discutiens ac roborans.

## §. V.

Eidem fundamento innititur effectus , quem hic fons exserit in omnibus illis pectoris affectibus , qui indicationes præcedente §. nominatas exhibent. In phthisicis præcipue affectibus distingunt se aquæ nostræ ab acidulis, uti jam Cap. II. §. III. indicatum est. Licet autem in his morbis etiam frigidæ assumtæ nullam inferre possint, nec soleant noxam; interim melius , si calidæ in infuso cum herbis pectoralibus exhibeantur. Perfectam autem mali sui restitutionem non sperent miseri ejusmodi ægri de fonte nostro.

## §. VI.

Porro illorum , qui in abdomen potissimum sedem suam figunt, morborum attingemus nonnullos, quibus fons noster esse potest solatio. Quod si cruditates biliosæ, acidæ, acres , primas vias occupantes efficiant Cardialgias , ructus , vomitus &c. &c. aquarum nostrarum usus , præmisso prius laxante crassiores eliminante sordes, non solum subtiliores impuritates ex primis viis æque ac humoribus eliminat ; sed illis etiam relaxatis , robur ac tonum addit ; adeo ut appetitus antea prostratus aquam hanc bibentibus ægregie iterum excitetur. Sic flatulentiae obnoxii nonnulli , nullis contraindicantibus circum-

stantiis, etiam solamen in aquarum harum usu inveniunt. Malum hypochondriacum, communis eruditorum adficietio: & fæminarum sedentariæ vitæ remuneratio, quam dicimus malum hystericum, morbus est; cuius non solum causa aqua hac saepius tollitur; sed & symptomata mitigantur notabiliter; præcipue si nulla jam præsto fuerit visceris alicujus læsio. Communiter nimirum causa hujus mali est spissus sanguis; hic autem egregie resolvitur ac attenuatur non solum per ipsius aquæ usum: sed etiam corporis motum, assiduum potus hujus aquæ comitem. Morbus ipse consistit maxime in spasmis; hi causa remota saepius cessant: & licet nonnunquam, remota jam causa, nihilominus pertinaciter infstant; tamen & his aquæ nostræ egregie opitulantur, dum videlicet humores attenuatos in æquali conservantes progressu, omnemque fomitem mali continuo removentes, naturam tandem ab erroneis his motibus avocant. Mitigantur autem non minus aquis his molesta hypochondriacorum & hystericknm symptomata. Sic flatus, uti antea dictum, saepius removentur; sic appetitus prostratus iterum excitatur; sic somnolentia abigitur, & homines ejusmodi plerumque tristes ac meditabundi redduntur læti atque hilares. Quare etiam easus prostant de Melancholia hypochondriaca hoc fonte sensibiliter mitigata ac sublevata. Et cum in hystericis plerumque mensium adsint vitia; non minus & illa, impedimentis remotis, diuretica fontis hujus efficacia saepius in ordinem reducuntur. Referendi huc sunt omnes illi morbi a spissitudine humorum ortum sumentes, uti sunt malum spleneticum aliique. Quid vero de usu aquarum nostrarum in Nephritide est prædicandum?

dum? Perlustremus ejus indicationes; sic enim *D. D. Præses in Introduct. ad Med. Pract. pag. 583.* innuit potissimum dolorum mitigationem, adfluxus discussionem, & materiæ peccantis eliminationem. Nonne omnibus his egregie satisfaciunt aquæ nostræ? Blanda enim relaxatione dolores mitigant; æquali circuli humorum promotione affluxum discutiunt; & vi diuretica materiam eliminant, adeo ut ejusmodi patientes in urina sua sedimentum arenosum conspiciant. Accedit & hoc, quod a fonte nostro tantum absit, ut hæmorrhoidale perturbent negotium (quod etiam *D. D. Præses l.c. §. VII.* innuit) ut potius illas in ordinem reducant.

## §. VII.

Pergamus ad tumores, quibus afflitti ægrî saepius fontem nostrum petunt. Hi, si constiterint in restagnatione ac infarctu viscidæ alicujus materiæ; saepius contingit, ut aquarium nostrarum externo præcipue in balneis usu emollientur ac discutiantur. Præcipue vero tumores arthritici, rheumatici &c. certam fere sui sublationem inveniunt. Quin vidi præcedente æstate puerum, cui sinistrum genu ex metastasi variolacea, tanto tumore durissimo ad ankyloseos naturam fere referendo obsessum fuit, ut patella immobili pedem non extendere, sed claudicans incedere debuerit cum doloribus acerbissimis: utebatur balneis & humidis & vaporosis, quæ tantum profecerunt, ut non solum dolores penitus cessaverint, sed & tumor notabiliter imminutus, ac patella mobilis redditia fuerit. Interim dantur tumores, aut tunicati plane, aut alias nimis diuturno temporis tractu incuneati quasi: qui ex nostro fonte nullum habent auxilium.

## §. VIII.

Pervenimus tandem ad cutaneos affectus , & varia efflorescentiarum genera: quorsum refrendi omnes affectus scabiosi , ulcerosi , serpiginosi , achoracei , crustacei &c. & quæ innumera eorum sunt nomina. Ejusmodi impuri homines , quorum commercium alii fugiunt , propria habent vasa ac domicilia , in quibus balnea intrare possunt , præcipue vaporosa. Et hi sunt maxime , qui præ aliis aquarum nostrarum salutarem effectum experuntur. Impuritates enim humorum , quæ efflorescentiis hisce cutaneis alendis augendisque inserviunt , aquarum harum usu efficaciter eliminantur ; iisque eliminatis sanguis fluidus ac depuratus redditur : quo fit , ut nullæ deinde sordes tam facile generentur. Contingit vero saepissime , ut sub initio , quo curæ fontanali se subjiciunt ejusmodi ægri efflorescentiæ non solum majori producantur copia : sed etiam illa corpora , quæ externe de nullis conqueruntur efflorescentiis , interne vero impuris scatent substantiis , sub harum aquarum usu , cutaneos affectus incurvant. Omnes alii morbi , qui hic non sunt recensiti , facile tamen secundum ea , quæ dicta sunt , dijudicari possunt , num usus nostri fontis illis conveniat. Omne enim operationis ejus punctum in eo positum est , ut aqua hæc operetur humores spissos , mucidos (concurrente præcipue corporis motu) resolvendo atque attenuando ratione principii aquei: aut plane stagnatos ac infarctos resolvendo ac discutiendo , ratione Sulphurei & Martialis principii : deinde impuros humores primo abstergendō ratione alealini , & e corpore educendo vel per Catharsin vei diuresin vel diaphoresin ; simulque per hanc hu-

humores in æqualem circulum promovendo ratione sulphurei; tandemque etiam tonum roborando ratione Martis. Hinc facilis inde est conclusio, fontem nostrum in omnibus illis morbis egregiam exferere efficaciam atque virtutem, in quibus hæ indicationes sunt observandæ.

## §. IX.

Non alienum foret, illorum etiam morborum, quos fons noster si non exasperat, attamen non juvat, mentionem injicere, quod autem cum jam factum sit ab *Excell. D. D. Goblio in Act. Berol. dec. 2. vol. 6. pag. 32. seqq.* illud repetendum non duximus. Interim de Epilepsia ideopathica curiosa est observatio, quod simulac homines malo hoc perculsi balnea intrent, paroxysmo suo semper corripiantur, contra vero internus aquarum usus proficuus illis deprehendatur. Refero autem ad illos, qui fonti non competit affectus etiam Hæmorrhagias. Hæ igitur legitime, ordinate ac congruo loco fluentes non sunt morbus, sed illius remedium: quando vero peccant, peccant vel in excessu vel defectu, vel loco. Si deficiente sunt, non sunt morbus, sed illius causa, & hinc morbus nuncupatur, quem produxerunt. Quare vel loco incongruo erumpentes, vel excessu peccantes hic intelliguntur proprie. His vero non quadrant fons noster ac balnea: exigitant enim humores jam exagitatos qui potius tempe rationem indicant.

## §. X.

Restat itaque, ut adhuc momenta quædam notatu digna de nostro fonte subnectamus. 1) Multum ad curas, quæ in fonte hoc salutares fiunt, contribuere puto, privationem occasionum quarundam ad animi adversa & noc-

va pathemata , ejusdemque a laboribus mentalibus ac curis domesticis revocationem : Quantum enim his momentis morbis accedat nutrimentum , neminem docere volo .  
 2) Qui fonte vult uti , plethoram præjudicioram , si ad- est , imminuat antea , ne balneis commota damna inducat : & crassiores e primis viis per laxantia eliminet fôrdes ; ne si remaneant , aquarum usu penitus agantur in viscera .  
 3) Fœminæ quibus sub balneorum usu menses , aut viri , quibus aliæ eruinpunt Hæmorrhagiæ ; sub earum fluxu abstineant a balneis , ne humores commoveant . 4) Qui interne aquas bibunt , videant ut illarum tantum iterum excernatur , quantum assumerunt ; ne aqua subsistat , ac corpus oneret . 5) Diæta Regimen , & animi pathema- ta prudenter sunt dirigenda . 6) In exacerbatione paroxysmorum balneorum usus est evitandus , donec remit- tant . Ut autem in omnibus rebus divinum exploran- dum est auxilium : ita & iis , qui fontes visitant , conve- nit , ut curam cum D E O incipient , cum D E O finiant . Huic quoque divino Numinis submissas grates agimus pro viribus , quas nobis inscribenda hac dissertatione benigne concessit . Dirigat omnia in sui gloriam ; & hominum e- molumentum . Tu vero Lector Benevole , si non omnia Sensui Tuo fuerint accommodata , condona nostris pri- mitiis , ac intuere , quisnam sincerus nobis fuerit

# F I N I S.

**I**s Dein gelehrter Fleiß Die längstens zugebracht,  
Das wird Dir diesen Tag, wie Du verdient, ge-  
bracht,  
Wirst Du Dich nun forthin der Welt zu nutz bemühen,  
So wirst Du denn daraus mehr Segens-Früchte ziehen.  
Seinem ehmahlichen Hrn. Auditori und noch werthgeschätztem  
Freunde überschickte dieses zum Zeichen seiner Ergebenheit  
**M. Justus Israel Beher, A. E. S.**

---

**M**iles ut intrepidus tandem post mille labores.  
Summæ virtutis digna bracea refert :  
Sic Tu Pœoniz pugnasti rite palestra  
Nunc meritæ palmæ præmia digna capis.

*Hæc gratulabundus scripsit*

**Caspar Gottlieb Schlegelmilch,**  
Sagano - Silesius, Med. Cand.

---

**R**ite coronatur finem nactus studiorum,  
Hinc honor is Tibi sit faustus ubique precor.

**J. M. Starckloff,**  
Gothano - Thuringus, Med. Cult.

---

**E**re Zugend kan mit Recht der Ehren Mutter heissen,  
Wer diese haben will, muß dieser sich befleissen :  
Du hast die Zugend stets, Geehrtester, geliebt  
Was Wunder, daß sie Dir heut ihre Tochter giebt.  
Mit dieser wird Dein Witz im schönsten Bande leben,  
Diß Bündniß wird dir nichts als süsse Früchte geben,  
Die Mutter steht mit Rath stets ihrer Tochter bey.  
Drum bleibt dieselbe auch dir unvermerkt getreu.  
Ich wünsche, werther Freund, darff ich Dich also nennen,  
Dß dieses güldne Band kein Unglücks-Strahl mag trennen,  
So trifft auch hier der Satz vollkommen richtig ein :  
Es müssen stärker stets verbunde Kräfte seyn.

**C. S. Richter,**  
Hallens. Med. Cand.  
Justum

**J**Ustum speratos sudoris quærere fines.  
Sic cupit in portum securum ut nauta feratur:  
Quid mirum: pariter post tot tantosque labores  
Te cupere optatam quoque nunc attingere metam.  
Ad quam sincerus gratatur amicus amico  
Exoptatque bonos progressus mente fideli  
Utque ægris semper tua sit medicina levamen.

*Gratulabundus adjecit*  
**Joannes Jacobus Lerche,**  
Med. Cult.

**Q**Vi Tibi doctis latuit medullis,  
Disciplinarum nucleumque corque  
Elaboratis tabulis, Amice  
fers in apricum.

Ad tuas curas vigiles lucernæ  
Sæpius pingues vomuere fumos,  
Et probatarum tamen exhibebis  
Robur aquarum.

Tædium scriptis aqueis movetur,  
In quibus rosos digitos videmus;  
Sed Tuus nervos, oleumque fœtus  
Spargit in ore.

Gratulor partum decus ac honores,  
Quos Tibi sudor fabrefecit ipsi  
Nobilis, noctesque diesque toto  
Corpore fusus.

Sis rei fulcrum medicæ, salusque  
Quam valetudo trepidet sinistra,  
Docte SCHAAARSCHMIDI, nec opes negabit  
Ferre Galenus.

*Hæcce Nobilissimo Domino Candidato, olim  
Contubernali suo æstumatissimo, amico-  
que in paucis sincero gratulabundus  
adjecit*

**J. F. Muller,**

Neustad. Wurtemb. Med. Cult.